



**INDEX**  
**Dispositivum**  
 juxta  
 Seriem Alphabet:

**A.**

De Apochis - - - 15.  
 Affectione - - - 36.  
 Adhesionem Judiciorum - - - 9.  
 actionum Concursu - - - 19.  
**B.**  
 De Banno. - - - 34.  
 Banno ferino - - - 38.  
**v. C.**  
 De Conditione Liticaria - - - 12.  
 Condit. Indebiti. - - - 13.  
 Confessione - - - 17.  
 Concursu Actioni - - - 19.  
 Contractib. prohibiti. - - - 24.  
 Crepitorum possessione lapsa - - - 18.  
 Confirmat. Contract. - - - 26.  
 Conjugati. Fide. - - - 23.  
 Contradictum Confirmatione - - - 26.  
 Colludandi Juris - - - 28.  
 De Desertione litis. - - - 14.  
 Debiti solenni obligatione - - - 18.  
**E.**  
 Expedat. gratis - - - 43.

**F.**  
 De Fide Instrum. - - - 21.  
 Fide oculata - - - 22.  
 Fide conjugati - - - 23.  
 Ferine Banno - - - 38.

**G.**  
 De gratis Exped. - - - 43.  
**H.**  
 De Hyperochia - - - 11.  
 his quæ raro fiunt - - - 38.  
 Homicidarum patrocinio - - - 37.

**I.**  
 De Judicijs - - - 1.  
 Interventione - - - 5.  
 Jure Collectandi - - - 28.  
 Jure pavorum - - - 29.  
 Jure Tenebrarum - - - 30.  
 Interpret. 232 ff. de Leg. 1.  
 Instrument. Fide. - - - 21.  
 Jurisdictionum provocat. - - - 2.  
 judicialia adhesionem - - - 4.  
 indebiti conditione - - - 13.  
 Imperii Romani Statib. - - - 41.

**L.**  
 De lege Commissoria - - - 7.  
 Litis pite Desertione - - - 4.  
 Lites tollendi remedijs - - - 25.

M.  
 Mulierum privi  
 Madedorsano  
 De Novi Oper  
 Obligatione  
 De Odis  
 Oculata  
 De Prorogatione  
 Processu Su  
 Possess. Credit  
 Privilegijs et  
 Patrocinio  
 Pluralitate  
 Principes an  
 in suis dicti  
 condere po  
 prohibitijs con  
 Paulorum  
 probatione  
 Prescriptione  
 De Remedijs  
 Romani imperii

M  
Mulierum privilegii - 27  
Macedoniano S.C. - 9.

N  
De Novi Operis Nunciis - 16.

O  
Obligatione sociorum - 20.  
Odi - 35.  
Oculata p. fide - 22.

De Prorogatione Jurisdictionis - 2.

Processu Summario - 6.

Possess. Creditoris in sig. - 10.

Privilegijs Mulierum - 27.

Patrociniis Homicidar. 37.

Pluralitate et pat. vot. 39.

Principes an et quatenus  
in suis dictionibus statuta  
condere possint. - 42.

prohibitis contractibus - 24.

Proculum p. fide. - 29.

probatione tituli - 13.

Prescriptione tempor. - 31.

R  
De Remedijs tollendi lites - 25.

Romani imperii statibus - 41.

S  
De Sponsionibus - 8.

Senat. Cons. Macedon. 9.

Solenni Oblat. debiti - 18.

Sociorum Obligat. - 20.

Solennibus - 33.

Statibus R. Imp. - 41.

Summario processu - 6.

T  
De Titulis probatis - 3.

Temporibus praeser. 31.

Titularia conditione - 12.

Tenebrarum iure - 20.

Votorum pluralitate - 39.

X

Y

Z



1. de ...  
 2. de ...  
 3. ...  
 4. ...  
 5. ...  
 6. ...  
 7. ...  
 8. ...  
 9. ...  
 10. ...  
 11. ...  
 12. ...  
 13. ...  
 14. ...  
 15. ...  
 16. ...  
 17. ...  
 18. ...  
 19. ...  
 20. ...  
 21. ...



INDEX	
1. de iudicijs.	22. de fidei iuramento
2. de promissione iuramentum	23. de fidei iuramento etc.
3. Tutela p[ro] solatione.	24. Contractibus prohibitis
4. adhaesione iudicij	25. Remedijs tollendi lites.
5. interventione.	26. Confirmatione Contractuum
6. Processu Summario	27. privilegij Matrimonij.
7. Lige Commissiona	28. iure Collectandi.
8. Sponsionibus.	29. iure p[ro]curatorij.
9. Ius Matrimoniale	30. iure Tenebrarum.
10. Possess. Ordinij iudicij	31. Tempore p[re]scripti.
11. Hypotheca	32. his optinendis fuerit.
12. Conditione Tutelae	33. Solemnibus.
13. Condit. curat. p[ro]hib.	34. Banno.
14. Desertione Litis.	35. Odio.
15. Apocriphi.	36. Affectione.
16. Nova opus Nunci.	37. p[ro]hib. iur. homicidij.
17. Confessione	38. Banno ferreo.
18. Solemni Oblatione op[er]ib[us].	39. pluralitate et paritate
19. Concur[sum] Actionum.	40. re voto bin.
20. Societatum Obligatione.	41. miter p[ro]t. iur. ff. de Lit.
21. Fidei Instrumentorum	42. Statib[us] R. Imperij.
	43. Principes an ad quatuor
	missis ditionibus statuta cond.
	re possint.
	43. de Gratij's Expectativis



*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and appears to be a list or account.]*



B. 138.

76.



Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the name 'DAN GAVRINI SCHEACHERI'.

Fragment of text from the adjacent page, including 'JU', 'CONS', 'DN.', 'Jcti &', 'Judicii A', 'Dn. Pra', and 'TOBI'.





I. N. J. C.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
*De*  
**PROCESSU SUM-  
MARIO,**

*ad*  
Cl. *sape de Verb. Sign. junct. Cl. dispendiosam 2. de judic. c. 26. de accusat. c. 6. de judic. c. 20. heret. in 6to, l. jun. C. si de moment. posf. l. 3. §. 9. ff. ad exhib. l. 14. C. de agric. & cens. l. 5. C. de naufr. Auth. nisi C. de sent. ex per. reci. Extrav. Henrici VII. Ad reprimendum, & similibus.*

*Quam,*  
Annunte Divini Numinis Clementiâ  
Consentiente & approbante Amplissimo *Œ*ctorum  
Ordine in Illustri Francofurtana,  
Sub Præsidio  
*Speçtabilis, Excellentissimi atq; Consultissimi VIRI*  
DN. JOHANNIS BRUNNEMANNI, Phil.  
ac J. U. D. Cod. Iust. P.P. ac Nobilissimæ Facultatis  
Juridicæ p. t. DECANI  
Domini, Promotoris ac Præceptoris sui ætatem  
venerandi & colendi  
Pro impetrandâ Licentiâ ad summos utriusq;  
Juris honores

*ad diem XXVII. Apr.*  
*In Auditorio Juridico horis ante & pomeridianis*  
publico examini exponit  
ARNOLDUS Mengerling Halla-Saxo

---

Typis NICOLAI KOCHI, Academ. Typogr.  
Anno M. DC. LII.



V I R O

*Perquam Magnifico, Nobilissimo atq;  
Consultissimo,*

**Dn. CUNRADO CARPZOVIO, J. U. D. Com.**  
Palat. Cæsario, Reverendissimi ac Serenissimi Principis & Do-  
mini Administratoris Magdeburgensis Cancellario gra-  
vissimo, atq; secretiori Consiliario  
eminentissimo.

Mœcenati & Promotori suo Maximo

Ue &

V I R O

*Nobili, Amplissimo atq; Consultissimo,*

**Dn. JACOBO GRIBIO, JCsulto famigerato, Col-**  
legii Juridici in Salinis Saxonis Assessori meritissimo, &  
Oeconomica Administrationis Halensis Inspectori  
Archi-Episcopali fidelissimo.

Patrono & Promotori suo ætatem colendo.

*Debita gratitudinis causa*

hæc theses inaugurales

offert

**Author & Respondens.**



## In Nomine JESU!

**J**udicii, quatenus modus & medium, quo jus nostrum consequimur, atq; sic forma quasi Jurisprudentiæ est, varias multiplicesq; esse divisiones, tam ab efficiente, quàm fine materiâ, formâ, aliisq; circumstantiis petitas, notum satis est, & ex Wesenb. Maranta, Rosbach. Ummio & aliis Processuum commentatoribus abunde constat. Quarum tamen primariam eam, quæ à formâ illud in Ordinarium vel plenarium, & Extraordinarium vel summarium dispescit, quivis facile fatebitur, cui actoris in hujus positum simplicitate ac velocitate, non ignotum habetur commodum. Ejus aliqualem delineationem & tractationem, licet exercitatus practicus feliciorum & pleniorum dare posset, publico & erudito examini in subsequens subijcio.

### Th. I.

Non verò totam judicii illius naturam considerabo, sed prætermisso materiali, ad quod refero personas tam judicantes, quàm litigantes, & vel principales, vel accessorias, formale ipsius seu Processum, objectum meæ Disquisitionis faciam. Neque etiam scopi est Causas, quæ in summario processu ventilantur, præmittere; referunt eas sat copiosè *Gl. in l. 3. §. sciendum ver. summatim ff. ad exhibend.* Marant. in *Sp. p. 4. dist. 9. n. 41.* Jacob Schultes *Obs. 3. Rittersh. in Nov. p. 9. cap. 3. n. 27. & seqq.* Zanger. de *Except. p. 1. cap. 1. n. 60.* Gilken in *l. un. C. de litis contest. n. 98. & seqq.* & cum Scaccia *lib. 1. de judic. cap. c. 53. n. 13.* distingvi possunt, quod vel sint ex se & suâ à lege vel consuetudine tributâ naturâ tales, uti Ecclesiasticæ, Rusticorum  
Carpz.

Carpz. lib. 6. Res. ult. n. 11. & seqq. & e. vel ex accidenti, tam ex Principis Rescripto, quam partium consensu, potest enim causa, si consentiat reus, tractari summariter, etsi aliàs sit ordinaria, Carpz. p. 1. §. F. 2. def. 18.

## II.

Ad vitandam autem obscuritatem, varii ordinarii & extraordinarii seu summarii procesus eruendi sunt significatus. Notum est aliter Jctis, aliter hodiernis Dd. ordinarium & extraordinarium dici; Illis ille est, in quo solenniter impetratis & observatis formulis, non ipse Magistratus, sed judices pedanei cognoscebant: hic, ubi cessante formularum solennitate ipsi Magistratus in causa judicabant, l. 47. §. 1. ff. de neg. gest. & t. t. de extr. cogn. ut adeo Justin. §. ult. §. de inter. sublatis tùm formulis & inpetitionibus, l. 1. & 2. C. de for. & in p. subl. omnia judicia faciat extraordinaria. His ordinarius est, in quo solennis procedendi obtinet modus, quem paucis delineavit Rosbach. in pr. civ. tit. 21. n. 3. Damhud. in pr. civ. cap. 21. Extraordinarius, ubi absq; tali solenni ordine simpliciter & de plano causa deceditur, Rosbach. d. l. n. 7. Alio sensu iterum Marantæ in Sp. p. 4. dist. 10. judicium appellatur ordinarium, quod ordinario remedio vi actionis exercetur; extraordinarium, quod potestate & officio judicis intentatur, unde nonnulli distinguunt inter processum summarium & extraordinarium, Speculat. in Tit. de off. omn. jud. §. 8. postremo. n. 13. Communiter tamen hi termini pro iisdem accipiuntur, & describitur iste procesus extraordinarius, quod in illo procedatur sine strepitu Advocatorum & judicii, simpliciter, de plano, sine figura judicii, solâ rei veritate inspectâ, manu regiâ, Cl. sape de Verb. Sign. quæ ordinaria sedes habetur hujus materiæ, Cl. dispendiosam 2. de judic. c. olim 26. de accus. c. dilecti 6. X. de judic. c. 20. de barei, in 6to. Extrar. Henrici VII. An reprimendum. Scacc. d. c. 53. n. 41. in quo summatim l. 5. §. 8. ff. de agn. & al. lib. l. 1. §. 14. ff. de ventr. in pos. & c. l. 3. §. 9. ff. ad exhib. sine scriptis & aliquâ expensâ Auth. nisi C. de sent. ex pe. recit. levato velo, l. 5. C. de nauff. celeriter, l. 14. C. de agric. & cens. velociter, Novell. 83. cognoscitur.

## III. Et

## III.

Etsi enim Bartol. in d. Extr. ad reprimendum in verb. summarie & seqq. Scaccia d. cap. 53. n. 13. & seqq. Damhud. in pr. Civil. cap. 22. 23. & 24. alium faciant processum summarium vel simplicem, alium qui de plano, qui sine figura iudicii, manu Regiâ, solâ rei veritate inspectâ sit; hæc tamen verba omnia summarium nostrum processum mihi videntur denotare, atq; hinc, si summarie causa fuerit commissa, etiam de plano, sine iudicii strepitu &c. procedi debet, Scacc. d. l. n. 50. quamvis minimè negem, summarii procesus esse gradus, atq; alium alio celeriore & expeditionem.

## IV.

In genere describo processum summarium, quod sit ordo, quo simpliciter, & mediis tantùm istis, quæ naturâ ad deductionem & defensionem necessaria sunt, causa cognoscitur, vel in quo omisissis plerisq; & potissimis sollennitatibus, quæ ex iure positivo descendunt, eæ tantùm requiruntur, quæ naturaliter ad cognitionem causæ pertinent, Scacc. d. cap. 53. n. 21. Carpz. d. Resp. ult. lib. 6. n. 5. In definiendis autem iis, quæ à iure positivo sint, non conveniunt Dd. Scacc. d. l. non dubito tamen, quin libellus, litis contestatio, dilationum stata intervalla, attestationum publicatio, conclusio causæ &c. sint juris civilis, è contra simplex quædam petitio, narratio, præstatio juramenti calumniæ exacti, probationes ac defensiones, & sententia, naturaliter exigantur. Carpz. lib. 1. resp. 79. n. 7. & seqq. hæc enim omnia in quovis summario interveniant necesse est;

## V.

Sunt namq; aliàs illius gradus, Specul. de off. omn. iud. §. 8. Postremo n. 20. quidam quippe & ratione dilationum celeriores & quoq; respectu probationum faciliores habentur, in quibus non tantùm sine strepitu iudicii & velociter causæ pertractantur, sed etiam probationes semiplenæ sufficiunt, ut in summarissimo possessorio, quod distinctum est à possessorio ordinario vel plenario, æque tamen summariter ventilando, ut adeo adhuc quælibet causa possessorii sit sumaria vel momentanea, l. un. C. si de mom. poss. &c. Carpz. lib. 1. Resp. 9. n. 18. Sic procesus



executivi regulariter testes, eorumq; examina non admittunt, sed ad nudam confessionem partis adversæ, vel exhibitionem & recognitionem instrumenti iudex in iis progreditur, Carpz. lib. 3. Resp. 52. n. 14.

## VI.

De simplici tamen vel regulari processu summario mihi potissimum hîc sermo est, cujus differentias & singularia ab ordinario commodius arbitror cognosci, si per partes hujus progrediens, quid in quavis speciale sit, notavero. Divido autem Processûs partes, licet hîc varient Dd. ut ex traditis Hillig. in Donell. lib. 23. cap. 1. lit. O & D. apparet, in has, quæ præcedunt iudicium (quatenus hoc denotat disceptationem post litis contestationem) easq; vel substantiales vel accidentales, in illas, quæ in ipso fiunt iudicio, & istas demum, quæ sequuntur.

## VII.

Ad præparatoria substantialia pertinet, *Aditio iudicis & citationis per supplicationem impetratio*, quæ uti in ordinario, ita & in summario quovis necessaria est, cum sine illâ citatio à iudice fieri nequeat, arg. l. 68. ff. de iud. l. 4. §. 8. ff. de damn. infect. Hillig. in Do. & alleg. lib. 23. cap. 2. lit. S. Et tanto magis in hoc requiri videtur, quantum certius est, hanc supplicationem vice & loco libelli hîc fungi, dum enim in summario qualis qualis, ceu mox dicetur, sufficit petitio, non potest non supplicatio ea ipsa esse, quippe quæ facti brevem narrationem & resultantem ex narratis petitionem continere debet, Mindan. lib. 1. de process. cap. 6. n. 3. & seqq. In eo tamen diversum quid habet summarium ab ordinario, quod in hoc, ut ex Denaisio notavit Ummius disp. 5. ad Pr. n. 7. de stylo Camerae, quem Curiae passim observant in scriptis supplicari necesse sit, in summaris autem, teste experienciâ, vivâ voce citationes impetrentur. Supplicari & Principi posse in summaris, ita ut post Rescriptum Principis litis contestationis obtineant effecta, juxta t. r. C. quando libell. Prin. dat. & c. dubitandum non est, imo volunt Dd. tale Rescriptum loco petitionis à parte reproductum vice libelli esse, Van-tius sub Rubr. de null. sen. ex def. pro n. 20.

Alterum substantiale est *Citatio*, quæ tanquam basis & fundamentum ordinis judicarii, & sine quâ cognitio institui nequit, l. 47. ff. de re jud. nec in summariis negligenda, Carpz. p. 1. 2. def. 17. n. 5. cum & Princeps absolutâ potestate utens eam adhibere debeat, Scacc. de judic. lib. 1. cap. 88. n. 2. alleg. ab Hillig. d. cap. 2. lit. A. Restringunt tamen hanc necessitatem ad primum potissimum terminum, ita ut in progressu quandoque omitti queat, Zanger. de Except. p. 1. c. 2. n. 7. & 8. cum aliâs in quovis actu ordinarii ea sit interponenda, alioquin citra eam actus non valet, nec nocet haud citato, alleg. ab Hilliger. d. l. lit. B. Et si autem respectu conceptionis & expeditionis quæ executionem vel insinuationem & relationem continet, inter citationem processus summarii & ordinarii nulla videatur subesse diversitas, nihilominus in illa brevior terminus peremptoriè, quàm in hac præfigi potest, v. g. de jure civili quælibet legitima citatio spatium 10. dierum l. 68. & seq. ff. de judic. vel 30. dier. continet, Novell. 112. cap. 3. tantum tempus in sumuario observare necessarium haud est, sed ejus determinatio ex arbitrio judicis pendet, qui, postquam & in ordinario hodie pro lubitu terminum adsignat, pro ratione circumstantiarum & qualitate nostri processus, in eo brevior & faciliorem dare tenetur. Sic terminum juridicum hîc in ultimum diem posse incidere arbitror, quanquam in aliis contrarium servari doceat Carpz. p. 1. 7. F. 2. def. 23.

Substantiale etiam præparatorium est *libellus*, qui in sumuario non requiritur, Cl. sepe de V. S. est vero illius loco petitio qualis qualis, ex quâ tam judex, quàm reus negotium discere, & hic perpendere potest, an cedere velit, an verò litigare, Zanger. d. l. cap. 2. n. 15. quæ qualis qualis petitio, definiente ex Papiensi Scaccia d. l. 1. cap. 53. n. 2. est brevis facti narratio continens nomen actoris, rei, & rem petitam, ut elici possit intentio actoris Non autem interest, an in scriptis an ore tenus hæc petitio fiat, licet posteriori casu à Notario ad acta notari debeat, Bart. in Exe. ad

*ad reprim in verb. & figura n. 8. Marant. in Sp. p. 4 d. 9. n. 12. Scac. d. l. n. 6. ubi, etsi aliàs ex communi sententiâ sumptibus actoris libellus edatur, Scacc. d. l. 1. cap. 100. n. 10. si reus exemplum petat, propriis sumptibus sibi edi curabit, Marant. d. l. n. 15. Scac. d. l. cap. 53. n. 9. Lanfranc. in Cl. Sape, verb. libellus. n. 4. Cessant ergo in hâc petitione omnia disputata, quæ circa obscuritatem, generalitatem & ineptitudinem libelli in ordinariis moveri solent. In summario enim hæc qualis qualis petitiō, potest esse generalis & incerta, modo non adeo obscura, ut reus secum deliberare nequeat, Marant. d. l. n. 13. Bartol. in d. Extr. verb. & figura. n. 8. & ibi Not. lit. K. & Scacc. d. l. c. 50. n. 17. & ineptè composita, modo ex ea quid actor velit appareat, Marant. d. l. n. 14. Vantius de N. S. ex def. proc. n. 24. & alleg. ab Hilliger. lib. 23. cap. 4. lit. I in fin. Atq; sic nec conclusio nec alia libelli solennia hîc requiruntur, Lanfran, in Clem. saepe, ver. libellus n. 6. & seqq. Scacc. d. l. c. 53. n. 7. Multominus clausulæ illæ, quæ in libellis ordinariis ex practicorum potius more, quàm certo jure citra effectum plerumq; apponuntur, necessariæ erunt, licet additæ non noceant, vid. annot. Hilliger. d. l. 23. cap. 4. lit. D. perinde ut libellus solenniter compositus in summario abundare, minimè vero ordinarium procedendi modum in portare intelligitur, quamvis tum velint Dd. apponi clausulam: Non in modum solennis libelli, sed &c. ne eo ipso in ordinarium consensum videatur. In Foro Saxon. ineptus libellus articulatus habetur, & nec in summaniis admittitur, Carpz. p. 1. J. F. 2. d. 2.*

X.

Ad accidentale præparatoriorum pertinet *contumacia accusatio*, quæ & in summario fieri potest, omniaq; hîc obtinent, tam ratione accusationis, quàm poenæ, Ummius *disp. 6. th. 7.* quæ in ordinario circa hunc articulum tranctantur; præterquam quod citius in summario quis reddi queat contumax, dum brevior terminus præfigitur, & una tantum, cum aliàs trina aut una peremptoria requiratur *l. 53. §. 1. ff. de re jud.* citatio sufficiat, secundùm Jason. *in d. l. 53. n. 11.* Imò notat Marant. *d. dist. 9. n. 36.* contra contumacem in causis summaniis posse procedi



procedi ad sententiam definitivam lite nondum contestatâ ,  
contra l. 13. §. 2. C. de jud. idq; convenit c. quoniam §. 5. porro X.  
ut lit. non contest. Scaccia d. l. 1. cap. 96. n. 17. In processu execu-  
tivo si instrumenta veniunt recognoscenda , in pœnam contu-  
maciæ pro recognitis habentur , Scacc. de jud. lib. 2. cap. 11. n. 898.  
Carpz. p. 1. f. F. 17. d. 13.

### XI.

*Dilationes* in summario processu minuendæ & breviores  
dandæ, quàm in ordinario, *Clem. saepe de V. S. Maran. d. l. n. 21.*  
*Scacc. lib. 2. cap. 3. n. 150.* idq; multò magis, cum & Jure Civili  
in pecuniariâ causâ ordinariâ non nisi una concedatur l. 7. l. ult.  
*ff. de fer. quamvis in praxi id non servetur, Hillig. in Don. lib.*  
*24. cap. 6. lit. D. & plures etiam dilationes admittat ipsa Cl.*  
*Sape, Bartol. in d. Extr. n. 12.* Et legitimè omnino datur parti di-  
latio ad Advocatum quærendum etiam in summario, secus ac  
Bartol. opinatur in *d. Extr. in verb. sine strepitu* cum carere Ad-  
vocato sit magnâ defensionis parte carere, l. 14. C. de advoc. di-  
vers. judici. l. 4. C. tit. seq. Annot. ad Bart. d. l. lit. B. Terminus  
probatorius, qui Jure Civili arbitrarius est, l. 1. C. de dilat. c. in-  
ducia 4. §. spatium 3. q. 3. si in aliquo judicio certus sit, uti in For.  
Sax. est 6. sept. & 3. die. ad causas etiam summarias pertinet,  
Carpz. p. 1. f. F. 16. d. 1. n. 5. & seqq. & aliàs assignatus perempto-  
riè currit, Scacc. d. lib. 2. cap. 3. n. 27.

### XII.

*Feria Divinæ* in summaris quoq; observandæ sunt, l. ult.  
C. de fer. Scacc. d. l. 1. cap. 53. n. 23. uti & profanæ honorariæ,  
vel repentinæ, v. g. propter res prosperè gestas institutæ, l. 3. C.  
d. t. cum acta in his irrita sint, l. 2. C. d. t. & nec consensu liti-  
gatorum rata fieri possint, arg. l. 38. ff. de pact. Hillig. d. l. 24.  
cap. 7. lit. X. & Y. Bachov. vol. 1. ad T. disp. 5. th. 9. lit. F. In feriis  
autem profanis ad utilitatem hominum institutis, uti sunt mes-  
sium & vindemiarum, quæ aliàs & iis profunt, qui in illis occu-  
pati non sunt, Hill. d. l. lit. O. causæ summariæ rectè expedi-  
untur, Cl. saepe in verb. in temp. Scacc. lib. 2. de jud. cap. 5. n. 171.  
& seqq.

B

XIII.

XIII.

*Exceptiones dilatoriæ sive procesum judicarium concernant tamq; respectu judicis quàm litigantium, sive actionem ipsam, in summaris etiam opponuntur: sic Lanfran. in Cl. sæpe in verb. & figura & c. docet in summar. æque procuratorem teneri prius de mandato fidem facere, atq; sic legitimaciones personarum in summaris itidem requiri, Marant. in Spe. p. 4. d. 9. n. 38. Adferendæ verò sunt in primo statim termino, vel actu judicario, Berlich. p. 1. Con. 18. n. 9. ita, ut factâ ad merita causæ responsione vel oblatis articulis sub manifestâ quantumvis protestatione: *Salvis exceptionibus*, exceptiones dilatorias amplius opponere non liceat, ut contra Felinum statuit Jacob Schultes *Obs. 49. n. 10. & seqq.* Idq; haud sine ratione, cum & in ordinariis de Jure Civili ante litem contestatam objiciendæ sint, *l. 12. C. de except. l. 13. & 24. C. de procur.* in causis autem summaris prima quævis contradictio, pro litem contestatione habeatur; præsertim cum hodie in plerisque curiis etiam in ordinariis in primo statim termino exceptiones allegari debeant, annexâ semper eventuali litem contestatione, *Carpz. p. i. 3. def. 1.* Cautus tamen iudex objectarum exceptionum qualitatem æstimabit, ut eas quæ magis differunt & frustantur causæ veritatem quàm rem ipsam concernunt, repellat, *Bartol. in d. extr. ad reprimendum in verb. & figura n. 9.* & hoc eò certius in executivis & aliis celeriores requiruntibus expeditionem, cum & alias in his non nisi in continenti liquidabiles admittantur. Sic notat *Carpz. lib. 3. Jur. Ecc. def. 27. n. 10.* in causis matrimonialibus dilatorias exceptiones plerumq; rejici; item in causis levibus, *Damhud. in pr. Civil. cap. 23. n. 5.* Peremptoriæ in summaris post factam contradictionem opponuntur, uti in ordinariis post litem contestatam vel in ipsâ litem contestatione, *l. 8. & 9. C. de except.* imò si notoriæ sint & liquidæ, litem ingressum impediunt etiam ante contradictionem attenduntur, cum verè sint loco contradictionis, *Hillig. in Donell. lib. 22. cap. 3. lit. I.**

XIV.

*Satisfactio in summaris æquè intervenit, ita ut si non de  
omni-*

omnibus, quæ exigat, *Novell. 96. cap. 1. & Auth. libellum C. de lit. contest.* de refundendis tamen expensis, juxta *Auth. Generaliter C. de Episc. & Cler. & Novell. 112. cap. 2.* vel secundum hodiernum stylum, de expensis & reconventionem (si post conventionem eadem institui potest, *l. 10. C. de injur.*) per fidejussores aut pignora cautio sit præstanda, nisi possessio rerum immobilium, *l. 15. ff. de his qui satis.* aut causæ privilegium, uti est matrimonialis, *Berlich. p. 1. concl. 20. n. 18. & alimentorum, Tusch. tom. 7. concl. 39. n. 13.* satisfationis immunitatem tribuant. Rei satisfatio, juxta *l. un. C. de satisfat.* & hinc quoque exigat potest, nisi consuetudine & praxi fori in omnibus causis regulariter sit abrogata, quomodo *Scacc. lib. 1. de judic. cap. 101. n. 56.* testatur, se nunquam vidisse reum compelli ad ullam satisfationem, præterquam advenam aut suspectum de fuga; idem de Fori Saxonie scribunt observantia, *Coler. p. 3. Pr. Exf. cap. 11. n. 98. Berlich. d. l. n. 65. Carpz. p. 1. 5. def. 30.* in quo foro nec Gvarandæ præstationem processus summarius desiderat, *Jacob. Schultes ad Coler. p. 1. decis. 109. n. 14. & seq.* & hinc nec coram Rectore Academiæ ea exigat potest, *Berlich. d. p. 1. con. 19. n. 9.*

### XV.

Etsi autem de *libelli mutatione*, in summariis, dum hinc libellus propriè non est, tractari nequeat, de mutatione tamen qualis qualis petitionis disceptatur, quam post factam aliquam responsionem ad merita causæ, oblationem articulorum, testimonium vel instrumentorum productionem, vel simile quid, illicitam probant *Jacob. Schultes Obs. 49. n. 1. & seq. Berlich. d. p. 1. Co. 23. n. 8. Carpz. p. 1. Con. 11. d. 5.* perinde ut in ordinariis libelli mutationem, post litem contestatam locum habere communiter negant, *l. 23. ff. de judic. alleg. à Berlich. d. l. n. 3.* quamquam & post litem contestatam refusus in pensis eandem admitti, *S. 34. de act. l. 3. C. de edend. l. 79. pr. ff. de jud. doceat, Bacchov. de action. disp. 1. th. 44. Donell. & ibi Hill. lib. 23. cap. 5.* In Foro Sax. post Gvarandam tantum præstitam mutari vel emendari libellum non posse, notum est ex *Landtrecht lib. 30. art. 14. S. denn dierevell / Berl. d. l. n. 4.*

## XVI.

*Interrogationes*, quæ ad præparationem & foundationem iudicii faciunt, Menoch, *lib. 2. arb. qq. cas. 51. n. 7. & seq.* & hodiè etiam adhiberi possunt, in summariis pariter interveniunt, in quavis etiam iudicii parte, *l. pen. ff. de interr. act.* Menoch. *d. ca. 51. n. 40.* cum tamen post conclusionem in causa in ordinariis iudex vix facilè interrogare queat, *Cle. Sape. verb. interrogab. & ib. gl. de V. S. Menoch. d. l. n. 19. & seqq.*

## XVII.

*Reconventio*, quæ mutua rei coram suo iudice sive ordinario sive delegato in simili controversiarum genere fundatam jurisdictionem habente *l. 14. C. de sentent. c. 1. & 2. de mut. pet.* petitio est, *l. 38. pri. ff. mand. t. t. X. de mut. petit.* in summariis etiam locum habet *d. Cl. Sape §. verum*, idq; si tam conventio quam reconventio summaria, adeo dubium non est, *gl. in d. Cl. verb. si quid.* attamen & si alterutra ordinaria, & actor invitus, qui summariam movit, ordinario processu pulsari nequeat, prorogata nihilominus censetur jurisdictione, ut postea fori declinatoriæ locus non sit, *Trentacinq. 2. pract. Resol. tit. de mut. petit. Res. 1. n. 13. arg. l. 24. §. 4. ff. de liber. caus. Dis. Ummius dis. 10. n. 24.* econtra si conventio sit ordinaria, reconventio summaria, hæc ipsa ordinaria fit, dum ita reus privilegio suæ causæ renunciare videtur, *Umm. d. l. n. 18.* Sunt verò quædam causæ summaria, quæ reconventionem non admittunt, uti executivæ, spolii, & aliæ relatæ ab *Ummio d. l. n. 14.* & alleg. ab *Hillig. lib. 17. cap. 18. lit. O.* Amplis. *Dn. Præsid. in prælect. ad Proces. membr. 10. p. 1.* Jure Saxon. reconventio quoad effectum prorogationis, in summariis & executivis facilius obtinet, cum causa conventionis & reconventionis non simul tractetur, sed finita demum conventionem, *Berl. p. 1. Conc. 22. n. 32. Carpz. p. 1. 7. def. 24.* atq; hinc propriè si loqui velimus, eo in foro reconventio nulla nec in causis connexis datur, *Carpz. d. l. def. 7.*

## XVIII.

*Interventio*, quæ est litis inter alios agitæ ob interesse suum Participatio, *Novell. 112. cap. 1. §. unde* uti in omni causa ita &

& in summaria locum invenit, *Mindan. de proc. lib. 3. cap. 9. in pr. Umm. disp. 11. n. 9.* idq; de spirituali & Ecclesiasticâ probat *c. veniens 38. X. de test. & att. de possessorii Berlich. p. 1. concl. 25. n. 11.* Procedit autem in quocunq; litis termino, modo summariter & semiplene interveniens interesse suum doceat, *Berl. d. l. n. 18. & seqq. & n. 48. Carpz. p. 1. 3. def. 30. & lib. 3. Resp. 21. n. 6.*

XIX.

*Nominatio præsuppositis terminis habilibus, sc. actionis realis, & in nostro processu fieri potest, l. 2. C. ubi in rem & c. Umm. disp. 11. n. 38. & seqq. Berlich. p. 1. Con. 24. n. 118. & seqq. pariter & laudatio seu denunciatio imminente evictione, tam in reali quàm personali, Umm. d. l. tk. 5. Berlich. d. l. n. 41. & seqq. cum hæc pertineant ad defensionem, quæ in summaris minimè adempta vel præclusa est.*

XX.

*Quæstiones incidentes & emergentes, quarum illæ sunt, quæ ante litem contestatam ortum habent & merita causæ concernunt, hæ quæ processum respiciunt, Gilken. ad l. 1. C. de ord. jud. n. 8. Menoch. lib. 1. arb. qq. 45. n. 5.* quæquam non facilè utpote remoram facientes, in summaris attendi debeant, si tamen urgentes sint, æquè summarie & simpliciter ventilandæ venient, cum eo modo super incidentibus procedendum sit, quo super causâ principali, ut ex Dd. per exempla probat *Menoch. d. l. n. 9. & seqq.*

XXI.

Primum substantiale, quod in ipso fit iudicio, *litis contestatio* est, quæ uti ex *Cl. Sæpe* constat, in summaris non requiritur, *Maranta in Spep. 4. dist. 9. n. 20.* idq; haud sine ratione, dum enim litis contestationis & libelli mutuus sit respectus, ut qualis est libellus, talis etiam formari debeat litis contestatio, *Camillus Borellus in Summ. Decis. tom. 1. tit. 50. n. 12.* in summaris autem qualis qualis sufficiat petitio, hinc & talis responsio sufficiens erit, *Carpz. lib. 3. Resp. 31. n. 10.* atque sic cesant hinc omnes disceptationes, quæ circa litis contestationem, illiusque modum moveri solent, & inde in Foro Civili necesse non est ut sub consuetâ fiat formula

mulá: Nego narrata prout narrantur &c. vel in Foro Saxon. ut specialiter reus ad omnia & singula capita respondere teneatur, sed sufficit aliqualis contradictio, quæ & analogicè pro litis contestatione habetur, aut primus quilibet actus in quo tractatur de meritis causæ, uti oblatio articulorum, testium vel instrumentorum productio aut quid simile, Berlich. p. 1. con. 26. n. 6. & all. à Jac. Schultes obs. 49. n. 6. Carpz. in Ju. Eccl. lib. 3. def. 28. n. 9. sic in causis executivis loco litis contestationis est recognitio vel jurata diffessio instrumenti, Carpz. d. Resp. 31. n. 12. seqq. & p. 1. 10. def. 10. nisi ultra instrumentum, libellus super certis quibusdam circumstantiis fuerit oblatus, cui solenniter & specialiter respondendum, Carpz. d. l. def. 11. Post factam talem meritorum causæ tractationem, aut contradictionem effectus, qui assignantur solenni litis contestationi, quos cumulat Borell. in summ. dec. tit. 50. n. 98. & seqq. Gilken. in l. un. C. de lit. cont. n. 48. & seqq. Umm. disp. 12. n. 19. & seqq. æquè & omnino etiam obtinent, Magnif. Dn. Kohl. Exerc. leg. 4. n. 10.

XXII.

Uti in ordinario processu juxta c. un. X. de litis contest. positiones interveniunt, facilioris probationis gratia, dum producens ea quæ in his continentur fateri, is contra quem producuntur affirmativa responsione confirmare, negativâ quid probandum sit declarare intelligitur, Umm. disp. 13. ad process. n. 18. ita & in summano adhibentur, cum & hic litis contestationem faciant, Clem. Sape verb. Et quia Scacc. lib. 1. de jud. cap. 60. n. 1. Ex petitione itaq; positiones formandæ sunt ad eliciendam rei responsionem, per verbum Wahr sub juramento dandorum, quod nempe non calumniosè sed juris tuendi causâ exhibeantur, Umm. d. disp. n. 14. & hoc uti & juramentum respondentorum species videtur juramenti calumniæ, arg. cap. presentium 2. de test. & attest. in 6to. atq; adeo denuò non præstari debet si generale calumniæ intervenerit, Umm. d. l. n. 26. Positiones autem ab articulis sunt distinctæ, dum hi continent id quod quis probare intendit & non probant contra articulantem, uti positiones contra ponentem, Gail. lib. 1. Obs. 79. n. 6. formanturq;: Solches zu beweisen sagt wahr seyn, Umm. d. l. n. 3. Requi  
sita

sita positionum & quomodo nec captiosæ nec obscuræ esse debeant, explicat Umm. *d. l. tb. 3.* Positiones sequitur *Responsio*, quam reus facit per verbum credit vel non credit, v. g. den i. posit gläubewahr/denz: glaube nicht wahr / sub juramento respondentorum, *d. cap. 2. de test. & att. in 6to.*

XXIII.

*Probationes* necessariae in summariis etiam sunt faciendæ, *d. Cl. Saxe Carpz. lib. 3. Jur. Eccl. def. 28. n. 10. & 11.* quia iudex non aliter decernere potest, nisi beneficio legitimæ probationis ipsi de causa constet, Vant. *sub Rubr. de null. sent. ex def. proc. n. 38.* & regulariter plenæ & perfectæ requiruntur, Scacc. *lib. 1. de jud. cap. 53. n. 23.* per testimonia vel instrumenta. Hinc numerus & qualitas testium talis exigitur, qualis in ordinariis, sic non sufficit unius testis depositio, *c. licet universis 23. X. de test. & attest. c. admonere 33. q. 2. Carpz. lib. 3. J. E. def. 42.* neque injuratus hic admittitur, *l. jurisjurandi, 9 pr. C. de test.* adeo ut & ministri Ecclesiæ mediante juramento, quod tamen coram Ecclesiastico Magistratu, vel illo cui is id commisit, præstant, *c. quanquam 14. q. 2.* testimonium ferre teneantur, *c. nuper nobis 51. de testib. & att. Finckelt. Obs. 95. Carpz. p. 1. Dec. 77. & lib. 3. J. Ec. def. 22.* Sunt tamen quædam causæ summariæ, quæ tanquam majorem merentes celeritatem unico contentæ sunt teste, uti summarissimum vel momentaneum possessorium, *Ord. Cam. p. 2. cap. 21. in fin. Carpzov. in Disp. de inhib. Sax. tb. 46. n. 43.* in quo & injuratis credi stabilit. *Carpz. d. l. tb. 47. n. 64. & seqq. & lib. 1. Resp. 11. n. 7. & seqq.* cum hinc non tam ordinariæ interveniant probationes quam nudæ informationes, ex quibus de juribus partium aliquo modo constare sufficit, *Dis. Finckelt. Obs. 32. n. 8. & seqq.* quæ ratio etiam facit ut contra eundem *Obs. 117. Dn. Carpzov. d. Disp. tb. 48.* recognitionem instrumentorum, quæ regulariter alias in summaris pariter exigitur, in summarissimo de necessitate esse neget. Poterit & his causis iudex, sicubi semiplene, v. g. per testem omni exceptione majorem, qui differt ab idoneo, *Farin. d. testib. quest. 62. n. 3. & seqq.* probatum fuerit, juramentum suppletorium imponere, *l. admonendi 31. ff. de jur.* etiam in matrimonialibus, *Carpz. lib. 3. Resp. 57. n. 10. & lib. 3. J. E. def. 46.*

XXIV.

## XXIV.

An autem in processu summario reprobationes & disputationes attestatorum admittendæ sint, ad arbitrium iudicis pertinet, qui in his causis ubi plena requiritur, probatio facilius eas admittet, quam ubi semiplena sufficit, Menoch. lib. 1. arb. quest. 32. n. 6. & seqq. sic, Carpz. lib. 3. Resp. 63. n. 9. & seqq. negat in executivis, reprobationibus locum esse. Cavere tamen omnino iudex tenetur, ne contra naturam summarii per attestatorum reprobationes & disputationes in multum tempus causa protrahatur, Carpz. d. Disp. de Jnb. S. th. 46. n. 47. & seqq. Didicitis autem testificationibus nec in summariiis alii testes recipi possunt, Auth. At qui semel C. de probat. c. 17. de test. & att. Menoch. d. l. que 34. n. 3. & seqq. quamvis iudex non tantum ex officio, sed etiam ad instantiam partis, imo & post conclusum in causâ, testes interrogare queat, Maranta p. 4. Spe. dist. 9. n. 30.

## XXV.

Ad inartificialem probationem pertinet juramenti delatio, quæ in executivis quidem processibus, utpote in quibus ea quæ probari debent, in continenti liquidare necesse est, non admittitur, Berlich. p. 1. Concl. 29. n. 62. Jacob Schultes Obs. 40. n. 14. in aliis tamen summariiis locum habet, Carpz. d. l. Resp. 52. n. 11. & seqq. atq; hinc in causis etiam matrimonialibus, modo affirmativè & pro consummatione matrimonii fiat, juramentum deferri potest, non verò negativè sc. ut puella juret Sponsalia non esse contracta, arg. t. t. X. de condit. appos. & cap. ult. X. de Trans. Carpz. d. l. J. Ec. def. 44. n. 6. & seqq.

## XXVI.

Conclusio causæ, quæ controversiæ discussæ tam in factis quam jure, ad decisionem submissio est, & vel expressa vel tacita, quando ex circumstantiis apparet nihil restare nisi sententiam iudicis, in causis summariiis minime est necessaria, Maranta d. l. n. 24. Vant. & all. sub Rubr. de N. S. ex def. proc. n. 145. Menoch. lib. 1. qu. 35. n. 11. quamvis in ordinariis videatur esse de substantia processus, gl. in d. Cl. Sæpe. c. quoniam 11. X. de prob. c. cum dilectus 9. de fide instr. Auth. jubemus C. de jud. Umm. ad proc. disp. 19. n. 1. Cum, autem hodie in plerisque judiciis certus



tus modus allegationum partibus statutus sit, nec ultra triplicam, aut quadruplicam quid admittatur, idem & in summariis observandum erit, atq; adeo & in his tacite in causâ concludi intelligimus.

XXVII.

Ultimum substantiale, quod in ipso iudicio intervenit, *sententia* est, quæ pariter in summariis necessario interponi debet, licet certo respectu præ eâ, quæ in ordinario fertur, privilegiata sit; sic volunt in summariis super aliis posse sententiam dici, quam super petitis, modo rei tractatæ congruant, Marant. *d. l. n. 33.* cum tamen aliàs libello conveniens sententia exigatur, *l. 18. ff. comm. divid. l. ult. C. de fidei libert. Umm. disp. 19. n. 47.* sic Bartol. *in Extr. ad reprimendum in verb. & figura n. 22.* & ex eo Marant. *d. l. n. 25.* statuunt, in summariis in dominum, quamvis per procuratorem litigaverit, posse concipi sententiam, contra *l. 1. C. de sent. & interl. Menoch. lib. 5. Conf. 415. n. 4.* Potest etiam in his sententia ferri à iudice stante, *d. Cl. Sape Ver. stans & c. cum in ordinariis sedens pronuntiare cogatur, Novell. 82. cap. 3. Umm. d. l. n. 41.* nec de jure civili, aut sane nõ in omnibus causis sumariis, per *Auth. nisi C. de sent. ex bre. recit.* scriptura est necessaria, quod tamen de jure Canon. & praxi fori, ut testatur Zang. *p. 1. de Exc. c. 2. n. 43.* secus est, Vant. *d. l. n. 70.* Umm. *d. disp. n. 39.* Æquè autem ut in ordinariis ad audiendam sententiam citandæ sunt partes, *l. 47. in pr. ff. de re jud. d. Cl. Sape, ver. citatis Carpz. p. 1. dec. 47. n. 2.* Poterit etiam in summariis consilium sapientum requirere iudex, & secundum hoc litem determinare, Jac. Schult. & *all. Obs. 3. n. 278.* Carpz. *p. 1. 26. def. 3.* hocq; in rem judicatam transit, sive iudicis nomen adjectum, sive non, Bacchov. *in Tre. vol. 2. disp. 23. th. 2. lit. B. Carpz. d. l. def. 1. & 2.* unius tamen consultoris sententia non tam facile admittetur, nisi ad unam personam collegium fuerit redactum, *l. sicut 7. §. ult. in fin. ff. quod cuj. univers. Consultores hi causas & rationes suis responsis inferere non tenentur, arg. c. 16. de sent. & re jud. l. 59. pr. ff. de re jud. quamvis iudici petenti reddendæ sint, Carpz. p. 1. Decis. 85. n. 18.* Circa irrotationem actorum eadem quæ in ordinariis observantur, & in summariis interveniant necesse est, atq; adeo citandæ sunt partes, antequam acta transmittantur, Schrad. *de feud. p. 10. sect. 14. n. 31. & seq.* sic & citatione opus est, quando acta aperienda & sententia ferenda, Berlich. *p. 1. Concl. 59. n. 19.* & transmissio

missio utriusq; partis sit sumptibus, sive utraq; consentiat, sive alter-  
utra, c. 11. §. *asfessore de Rescr. in 6to*, Berl. d. l. n. 23. & seqq.

XXIIX.

Accidentalia iudicii præcipua sunt, *juramentum calumnie & in litem*. Illud, ut ex *Cl. Sape* constat, in summariis quoq; præstan-  
dum est, atq; sic etiam in Ecclesiasticis, c. 1. §. *quamvis, de jur. cal. in 6to*. Finckelth. *de Jur. Patr. cap. 8 n. 25. & seqq.* & tam ab ipsis liti-  
gantibus, quam eorundem procuratoribus, c. *ult. de jur. calu. in 6to*. Hillig. *lib. 24. cap. 3. lit. K. & Advocatis, l. 14. §. 1. C. de judic. c. 3. 4. & 6. X. de jur. calum.* nisi hi initio officii sui juraverint, *Umm. disp. 9. ad proc. n. 29.* Remitti illud expresse nequit, omnino autem ta-  
cité, si sc. non exigatur, c. 1. *de jur. cal. in 6to*. Hillig. *d. l. lit. P.* &  
quamvis in Foro Civili (nam in Saxon. non frequentatur, *Carpz. p. 1. 12. def. 21.*) generale calumniæ juramentum sufficiat, *l. 2. C. de jur. propt. cal. Novell. 49. cap. 3.* speciale tamen æqvè in quibusdam casi-  
bus, ubi suspitio malitiæ subest, præstandum est, Hillig. *d. l.* Hoc  
juramentum à restitutione expensarum victum liberare, non im-  
probabile est, *Carpz. p. 1. Decis. 46. & p. 1. 31. def. 31.* cum enim quæ-  
libet causa probabilis temeritatem excuset, multò magis religiosa  
justæ causæ contestatio, *l. 1. pr. C. de jurej. propt. calum.* Juramen-  
tum in litem in summariis causis, præsuppositis terminis habilibus,  
etiam intervenire potest, ita ut quod affectionis dicitur, dolum  
non restituentis præsupponat, veritatis culpam aut, quod res non  
exstet, & ejus æstimatio probari nequeat, *t. t. ff. & C. d. in lit. jur. vid.*  
*Umm. disp. 20.*

XXIX

Post iudicium si partes in sententia nolunt acquiescere, remediis  
legitimis eandem in summariis quoq; oppugnare possunt. Atq;  
sic *appellatio* in his quoq; obtinet, *arg. l. 1. in pr. ff. de appell.* Sunt ta-  
men quædam judicia summaria, in quibus appellare non licet, uti  
est possessorium momentaneum seu summarissimum, quod appel-  
lationem non admittit, *l. un. C. si de mom. possesf. Carpz. lib. 1. Resp. 13. n. 18. & seqq. & in d. Disp. de Inhib. tb 52. n. 124 & seqq.* quanquam il-  
le *ibid. tb. 53.* in Inhibitionibus Saxonis appellationes recipi teste-  
tur. In causis executivis æqvè frivola habetur appellatio, c. *cum*  
*appellationibus, 5 de appellat. in 6to*, item in notoriis & similibus, Hil-  
lig. in *Don. lib. 28. cap. 6. lit. Y.* Instantia autem appellationis in  
summaris æqvè summariter & simpliciter pertractanda est, cum in  
qua-

quacunq; instantiâ & coram quocunq; iudice, qualitas cognitionis  
summaria perduret, Vant. d. l. n. 58. Schultes Obs. 3. n. 105. Fatale  
interponendæ appellationis idem est, quod in ordinariis, *Auth. ho-*  
*die C. de appell.* introducendæ verò, quod & alias ex arbitrio iudicis  
pendet de jure Civili, & prosequendæ, voluntate iudicis arctari  
potest, ut eò citius causa ad finem perducatur.

XXX.

*Beneficium nullitatis* in summariis itidem obtinet, & facilius  
quidem, ob vitium circa personas commissum, quam ob vitium  
processus vel sententiæ; itaq; si iudex fuerit incompetens, *t. t. C. si*  
*non à compet. l. ult. C. de jurisd. omn. jud.* vel quando litigantes aut  
propter naturæ, aut legis prohibitionem in iudicio stare non potu-  
erunt, aut quando procurator falsus, vel illegitimus fuit, nullitas  
in summariis æquè commissa est, & de illâ agi potest. Nullitas ob  
vitium processus vel sententiæ in summariis non ita facile occur-  
ret uti in ordinariis, si tamen certa & in illis per statutum loci præ-  
scripta sit procedendi solennitas, nec ea fuerit servata, tum & sum-  
marium nullum reddi potest iudicium, Vant. *sub Rubr. de null. sent.*  
*ex def. pro. n. 54.* sic si nulla petitio, aut ineptissima, nulla citatio,  
nulla causæ disceptatio intervenit, item si sententia contra rem ju-  
dicatam, vel jus scriptum lata, nulliter & hic processum fuisse intel-  
ligitur. Agi autem potest de nullitate intra annos 30. à die latæ sen-  
tentiæ, modò etiam tot annos negotium duret, aliàs vel breviori-  
bus, vel longioribus terminis, juxta naturam negotii, deductio nul-  
litis circumscribitur, Berl. p. 1. *Conc. 61. n. 5.* In Foro vel Elect. Sa-  
xon. certum tempus, puta 6. septim. & 3. dierum à die publicatæ sen-  
tentiæ computandorum, præfixum est beneficio nullitatis, Carpz. p.  
1. 26. def. 21.

XXXI.

*Supplicatio* in summariis causis, in quibus de jure communi nequit  
appellari, sc. ubi ob sublimitatem vel privilegium iudicis, appella-  
tio prohibita est, æquè expediri potest, juxta *Auth. qua supplicatio*  
*C. de pre. Imp. off. & Novell. 119 cap. 5.* Vid. alleg. à Berl. p. 1. *Con. 60. n.*  
*24.* Sic & *Restitutio in integrum* in summariis quoq; intentari po-  
test, modò deceptio & læsio notabilis, & in minoribus minor ætas  
proberur, *l. 4. & l. 5. C. de restit. min.* intraq; quadriennium petat-  
ur, *l. fin. C. de tempor. rest.* Carpz. lib. 2. *Resp. 96. n. 3. & seqq.*

XXXII.

## XXXII.

*Executio* tantò magis in summariis locum habet, quantò expeditior in his, ut illa intentari possit, observatur procedendi ratio, & imò ipse executivus processus summarius & reliquis celerior est. Exsequitur ergo sententiam iudex ordinarius, ut & delegatus Principis, *l. un. C. qui pro sua jur.* & is, cuius jurisdictio prorogata, *c. quærenti 26. de off. & pot. deleg.* Ummius *disp. 23. n. 5.* ut & iudex appellationis, modò appellatio non frustratoria aut deserta fuerit, *l. 32. §. 2. C. de appell.* Et fit executio in rem petitam & per sententiam adsignatam, vel ob debitum, in omnia bona, juxta ordinem *l. à Divo Pio 15. §. 2. & seqq. ff. de re judic.* exceptis instrumentis ad agriculturam pertinentibus, *l. 7. & 8. C. quæ res pign. obl.* & libris studiosorum & Doctorum, quibus tamen non parcitur, si aliæ res non adsunt, *l. 40. ff. de re jud. l. 4. C. de exse. rei jud.* Carpz. *p. 2. I. F. 25. def. 20. n. 6. & seqq.* Processum & formam executionis describit Berlich, *p. 1. concl. 71.* & ex fori cuiusq; observantia melius addiscimus.

## XXXIII.

De *Reassumptione Processus*, quæ est declaratio hæredum, quod litem, quam defunctus habuit, continuare & absolvere velint, (formulam dedit Berlich, *p. 1. Concl. 27. n. 23.*) quæri potest, an & in summariis necessaria sit? Et quanquam hæc ipsa commentū sit Practicorum, ad protractionem litium apprimè faciens, ita ut & Carpz. *p. 1. Dec. 36. n. 9.* non immeritò omnibus modis laborandum esse dicat, ut reassumptio hæc vel prorsus abrogetur vel ad minimum restringatur, atq; adeo in summariis, in quarum ventilatione ea potissimum exiguntur, quæ naturaliter causæ cognitio desiderat, non videatur necessaria, non ausim tamen affirmare Reassumptionē in his cessare contra observantiam fori, & cum in aliis etiam Processus summarii partibus quædam quæ juri positivo originem debent, videamus intervenire, atq; hinc etiam *ib. 4.* dictum fuerit, plerasq; & potissimas omitti solennitates ex jure positivo descendentes. Verùm solennis reassumendi modus hinc exulabit, & sufficiet, si citati hæredes breviter & summariter voluntatem continuandi processum declararent, Berlich, *d. l. n. 25.* Sed

tantillum de summario processu in præsentiarum attulisse mihi sufficiat.

SOLI DEO GLORIA,

00 A 6403

ULB Halle

3


002 937 093



V 3-17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

N. J. C.  
PROLOGIO INAUGURALIS  
De  
**PESU SUMM-**  
**ARIO,**

ad  
*junct. Cl. dispendiosam 2. de judic. lic. c. 20. heret. in 6to, l. jun. C. si de mo- ib. l. 14. C. de agric. & cens. l. 5. C. de naufr. ex per. reci. Extrav. Henrici VII. mendum, & similibus.*

*Quam,*  
inini Numinis Clementia  
probante Amplissimo Jctorum  
Illustri Francofurtana,  
sub Praesidio  
antissimi atq; Consultissimi VIRI

**BRUNNEMANNI, Phil.**  
st. P.P. ac Nobilissimae Facultatis  
cae p. t. DECANI  
oris ac Praeceptoris sui aetatem  
erandi & colendi  
licentia ad summos utriusq;  
uris honores

*diem XXVII. Apr.*  
*idico horis ante & pomeridianis*  
o examini exponit  
S Wengering Halla-Saxo

KOCHI, Academ. Typogr.  
o M. DC. LII.